

NEOVIDENSIS

Nro. 49. (*Neovidensis* 1806. Nro. 42.)

*Secretum litterarum commercium vivos inter,
ac mortuos.*

Epistola missa ad vatem Cocles in Elysium.

Elysium. -- Meum. -- Die Veneris 6 Junii 1806 (Neov. 23 Maji.)

Dilectissime virorum!

Quid dicam de tuis vaticinationibus? Nihil est hodie risu magis dignum, atque tua prophetica vita; Alii illam legunt, alii abjiciunt, & singuli cogitant, veteres fuisse nimium credulos.

Pro tuo solatio cogor ingenuè fateri, hodie in communi vita multo plures existere vates, quam fuerint tua memoria. Quilibet annunciat alteri fortunam, vel infortunium; quilibet vult futura scire, prædicereque eventus. Quot sunt jam divisiones, vicissitudinesque in publicis ephemeridibus præsignificatæ nostræ Germaniæ? Quocunque aspicias, politicos reperies Prophetas, non suntne magni Ministri, qui *ex officio* vera vaticinantur, quorum est omnia in calculum vocare, constituereque, ut ad optatum perveniant finem? Hi utique etiam subinde ita male futura prospiciunt, uti tu dilecte Cocles; Et

meliusne faciunt Generales, qui triumphum canunt ante victoriam, & deinde profligantur?

Inter hodiernas vaticinationes illa maximam adfert consolationem, quæ affirmat pacem inter Angliam, & Galliam propiorem esse, quam vulgo putetur. Verum vix verbum pacis ore profertur, illico novi consurgunt Prophetæ asserentes, eam non fore diurnam. Qua de re submitto tibi prophetiçam Diatribam.

Ex qualibet pace nascitur status juris inter diversas provincias, quarum quies, securitas, ac libertas consistit in fide conventionum pacis. Cum autem nullum adhuc existat systema fœderatarum civitatum, civitates vivunt inter se in statu naturali, qui status perpetui belli est. cui per id tantum finis imponi potest, si inter diversas Europæ nationes fuerit systema fœderatarum Civitatum introductum. Hodiernum jus Gentium est chimæra, si enim vim legis haberet, debuisset ab aliquo promulgari, & ab omnibus sanctione donari. Consuetudo non facit jus, & ideo nec potest Jus Gentium positivum producere. Tametsi autem omnes pacis conventiones ideam contineant Juris Gentium, ejus tamen nec naturam plene exprimunt, nec ejus firmitati consulunt, non enim datur tertia Gens inter partes contrahentes, quæ in casu violatæ fidei judicem, & latæ sententiæ executorem ageret. Hoc tunc primo potest in effectum

fre, si diversi Europæ status systema fœde-
 ratarum Civitatum adoptaverint, certosque
 e medio sui delectos viros potestate instruxe-
 rint, qui exortas inter diversa libertate præ-
 dita regna controversias decidant, latam sen-
 tentiam instar legis publicam reddant, & in
 transgressores animadvertant. Si omnes con-
 tra unum insurgant, huic majus imminet pe-
 riculum, quam ut ausit cum illis manus con-
 serere. Ejus conservatio, & honor versan-
 tur in discrimine, & quamvis bellum non ex
 reverentia justitiæ abruptat, illud tamen non
 suscipit ex metu. Talis status inducit firmam,
 & durabilem pacem, qui quamdiu desidera-
 tur, tamdiu omnes pacis tractatus sunt meræ
 induciæ, quæ serius, aut citius rumpuntur,
 vel renunciatione cessant, unde bellum fit
 perpetuum, præsertim si quæpiam pars ma-
 gnam fecit rerum jacturam, ut adeo omnem
 arripiat occasionem amissa recuperandi. Sta-
 tus ita agit, quemadmodum singularis homo,
 estque, sicut iste non tantum organicum, sed
 etiam vivum rationale totum, & more hujus
 consuevit perditam vindicare. Consuetudo
 agendi plus potest in hominem, & Status,
 quam ipsa ratio; Quod jam sæpius fecimus,
 sæpius consideravimus, sæpius possedimus,
 et velut partem bonorum nostrorum specta-
 mus, id non nisi maxime inviti immolamus,
 & nunquam absque proposito ejus, quam-
 primum fieri potuerit, iterum potiundi. Hic
 nisus hominis, & Statuum fortius adhuc ope-
 ratur, si neuter subsit judici, si uterque

suus dominus sit, & ab omni imperio immunis.

Cum itaque nullum adhuc systema fœderatarum Civitatum procuret durabilem pacem, quæritur, quomodo debeat esse comparata, ut nulla pars habeat animum eam iterum frangendi, & ut ejus durabilitas æque certa sit, veluti modo possessio patrimonii uniuscujusque civis in Civitate? Hic finis obtinetur vel ita debilitando aliquam Gentem, ut ei tam vires, quam voluntas unquam renovandi bellum adimatur, vel æquam, & justam ineundo pacem, ut neutra pars aliquid amittat, sed antiqui nexus instaurentur, & omnis occasio dissensionum removeatur.

Primum medium durabilem efficiendi pacem per debilitationem alterius perinde injustum est, ac inconveniens. Injustum propterea, quia Gentes sunt morales, & juridicæ personæ, constant ex hominibus, qui persona carere nequeunt, secus enim nulla haberent jura, & etiam Gens nullis frueretur. Singuli, & omnes faciunt in Statu unum totum, unam personam. Qui hominem membro privat, committit parziale homicidium, qui partem ex aliquo Statu subtrahit, ejusdem criminis est reus. Rectoribus non est integrum de R publica aliquid decernere, quod singularis homo in se ipso exequi nequit, & quoniam iste nullum sibi potest amputare membrum, quin fiat in se ipsum injurus, ita etiam non licet Imperanti ullam suarum provinciarum partem cedere; Hæ enim constituunt unum totum, quod

Status dicitur, & quia persona est, dividi nequit
 inviolata gaudet sanctitate. Quare non licet
 imperium tenenti ullam sui regni partem alie-
 nare, & quod huic vetitum est cedere, alter
 non habet jus accedendi. Ambo violant justi-
 tiam, sed utrumque serius, aut citius castiga-
 bit Nemesis, pœnam, quam meruere, non
 evitabunt. Magna, occupationibus nimium
 amplificata regna, iterum dissolvuntur, & tan-
 dem justitia vincit injustitiam. Occupatio pro-
 vincię non tribuit jus eam possidendi, nil enim
 aliud est, quam apprehensio sine justa aquisi-
 tione. Occupatum territorium est alicui pro-
 prium, non ergo nullius. Homines etiam non
 possunt occupari, non enim sunt res, sed per-
 sonę, quapropter nequeunt dominio alterius
 subjeti. Ab hoc crudeli fato eos securos præ-
 stat ratio, & libertas, quę dotes hominibus in-
 natę sunt. Esto Gallia hoc bello partem diti-
 onum Austriacarum jure armorum suę potesta-
 ti adjecerit, propterea tamen jus eadem pos-
 sidendi non obtinuit, verum Tractatu subsequo
 Pacis

Pactum pacis, quo Gens per cessionem
 provinciarum enervatur, etiam est anceps & in-
 certum. Debilis non manet semper talis, sed
 nec potens iisdem constanter utitur viribus.
 Docet hoc historia Borussia, & Turcarum.
 Hi postremi formidolosi erant alias bellatores
 in Europa, Statumque fecerunt amplissimum.
 Borussia olim parva habuit initia, at nunc ex-
 imia pollet in Europa autoritate. Tempora
 mutantur cum hominibus, novisque occurren-

tibus circumstantiis parva regna increscunt, magna vero recidunt in Anarchiam. Iste est cursus rerum, si in aliquo imperio solæ vires physicæ spectentur, justitia autem, & sapientia nihili habeantur. Si itaque potens aliquis Status funditus non evertatur, sed opprimatur duntaxat, ab eo brevi, si non majora, certe talia, uti prius immincebunt pericula, Incipiet enim melius nosse suas vires, iis tamen parce utetur, acuet industriam ad tractanda officina, & commercium, artes, & scientias promovebit, concessa libertate preli adjuvabit vigentes opiniones; sic fient subditi ditiores, plus sibi ipsis fident, majori animabuntur audacia, & Civitas sciens hominum ingenia in sua vota flectere, prædita erit viribus, quibus cuncta pericula superare, & validissimo hosti possit metum incutere.

Itaque pacis conditiones duræ; sed quæ non delent regnum, non pariunt pacem diuturnam; namque justa, & prudenti reipublicæ administratione paulo post recuperat vires, & cum illatas injurias non possit concoquere, neque tolerantium damnorum oblivisci, arripit primam, optimam occasionem arma capiendi, & quia potens Status sæpe negligit suas vires, vel eas pessumdat, utpristinæ virtutis jacturam patiat, facili negotio evenit, ut in proximo proelio succumbat, & incidat in foveam, quam prius alteri foderat. Luculentum hujus rei præbet testimonium Hispania. Sub Corolo V. & Philippo II. nullos novit limites moderationis, sed elapso sæculo graves dedit pœ-

nas. Amisit provincias, & regna, exaruerunt domesticorum subsidiorum fontes, vires incolarum labefactatæ sunt, ignavia generavit paupertatem.

Justitia conservat imperia, & homines, atque utrisque conciliat felicitatem. Si velimus durabilem sancire pacem, nulli parti inferenda est injuria, neque relinquenda in animis mortalium memoria injustitiæ. Tam parum obliviscitur offensionum Gens, atque singularis homo, & quoniam nullum agnoscit judicem, vindictam meditatur, & quamprimum potest, provolat ad jus talionis. Potens itaque Gens, quæ cum alia æque potente pacem inire cogitat, optime fecerit, si, dum eam delere nequit, quod non facile evenit, eidem omnia ablata restituat, & componendo controversos limites, sublataque omni novi belli causa pacem stabilem reddat, ac diuturnam. Lenior ageodi modus ipsis etiam inimicis instillat amorem, & magnanimitati ita parum possumus resistere, atque eximæ pulchritudini. Si quæpiam Gens sibi existimationem suorum vicinorum comparavit, omnem illi dissensionum occasionem sollicitè vitabunt, & bellum eidem inferendum ipsa morte magis detestabuntur; Pace autem, qua duo finitima regna fruuntur, sive ad promovendam Nationum felicitatem, sive ad augendam morum culturam nihil est præstabilius. Duplex hoc bonum avertit animos hominum a bello, & divites, atque cultæ Nationes declinant illud tanquam pestem omnis felicitatis, & statum injustitiæ.

BIOGRAPHIA.

Cocles, Bartholomæus, vixit sæculo 15: Occupabatur vaticinationibus, quarum complures prædictum exitum habuere. Adornavit earum collectionem Argentorati A. 1536. ubi suam artem explicuit. Achillinus præmisit ei Præfationem, quam & amici, & inimici artis vaticinandi admirati sunt. Ferunt ab hoc viro prædictum fuisse celebri Jurisconsulto *Lucæ Gauric*, eum brevi speciem pœnæ mortis subiturum, inde tamen non moriturum; Et reipsa *Beativoglio* Præfectus Bononiæ, inaudiens sibi a *Gauricio* prænunciatum esse, ut ante exitum anni e suis ditionibus relegetur, jussit eum in altum tolli celerrime, & statim demitti. — *Cocles* mortuus est, ut ipse sibi prædixerat, ex ictu accepto in capite. *Hermes Beativoglio*, filius Domini Bononiæ, curavit eum per *Capponium* interficiendum, qui ejus capiti securim inflixit, dum portam aperuisset. Quis in re maxime mirum est, *Capponium* accessisse ad nostrum vatem sibi ignotum, ut ex eo futura sciscitetur, cui *Cocles* reposuit: *Amice! hodie adhuc, antequam nox ingruat, patris homicidium.* Illo extincto repertæ sunt in ejus cubili vaticinationes de fati suorum familiarium, quorum manus, & lineamenta vultus eo fine inspexerat, atque omnes ita effectu comprobatæ sunt, uti minimum eas *Varillas* narrat; At constat, huic scriptori nullam esse habendam fidem.